



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Passio Sanctorvm Martyrvm, Getulij, Amantij, Cerealis, Primitiui, Symphorosae, ac septem filiorum**

**Cardulo, Fulvio**

**Romae, 1588**

Notae Ad Historiam Passionis Ss. Getvlii, Sociorvmqve Eivs Cerealis,  
Amantij, & Primitiui.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9427**



AD HISTORIAM  
PASSIONIS  
SS. GETVLLI,  
SOCIORVMQVE EIVS  
Cerealis, Amantij, &  
Primitiui.



TEMPORIBVS Hadriani Imp. ]  
Hac persecutio, quam plerique omnes post Beatorum Stephani Protomart. & Iacobi Apostoli necem, tertiam numerant, à Traiano Cesare mota, per Hadrianum, qui ei successit, continuata aliquandiu est. Et quidem imperante Traiano adeo crudeliter in Christianos est actum, vt in sacras etiam martyrum reliquias Ethnica seuiret impietas. Is sane in persecuendis Christianis (vt Orosius lib. 7. cap. 12. scribit) errore deceptus, tertius à Nerone cum passim repertos cogi ad sacrificandum Idolis, ac detrectantes interfici præcepisset, plurimique interficerentur, Plinij Secundi, qui inter ceteros iudices persecutor datus fuerat, relatu admonitus, eos homines præter confessionem Christi, honestaque conuenticula, nihil



contrarium Romanis legibus facere, fiducia sane innocentis confessionis nemini mortem grauem ac formidolosam videri, rescriptis illico lenioribus temperavit editum; Christianos videlicet conquirendos quidem non esse, delatos autem, siue, vti Tertullianus in Apologetico loquitur, oblatos puniri debere, libellos item sine auctore nullo crimine recipi non oportere, in quo tamen rescripti genere haud quam semper Traiano præsides paruerunt.

Hadrianus vetustiore origine à Picentibus, posteriore ab Hispaniensibus oriundus ( siquidem Hadria, quod oppidum agri Piceni etiam mari Hadriatico nomen dedit, ortos maiores suos apud Italicam Hispaniæ urbem, Scipionum temporibus resedisse, in libris vitæ suæ Hadrianus ipse commemorat ) Aelio Hadriano cognomento Afro, Traiani principis consobrino, matre Domitia Paulina Gadibus orta, natus Romæ IX. kal. Febr. Imp. Cæs. Vespasiano Augusto VII. & Tito Cæs. V. Coss. anno vrbis DCCCXXIX. Christi LXXVII. siue, vt quibusdam placet, adoptatus à Traiano, cum legatus Syriæ belli Parthici tempore præpositus esset, siue, vt alij malunt, Plotinæ Augusta factione ac studio ad imperij culmen euectus, imperare cœpit Antiochiæ III. Idus Augusti, die obitus Traiani, anno à Virginis partu CXIIX. quo item die cum principatu omnes etiam imperij titulos & iura suscepit. Imperauit annis XXI. mensibus X. diebus XXIX. Obijt Baijs in Campania VI. Idus Jul. Anno salutis CXXXIX. Aetatis suæ I. XIII. miserabili morbo consumptus, & omnium ferè membro-  
rum



rum diuturno cruciatu confectus vsque eo, vt doloris impatiens, cuperet domesticorū manu vitam finire; ac, ne sibi manus afferret, carissimorum custodia seruaretur. Auctores Dion, Spartianus, Eutropius, Sex. Aur. Victor, & alij. Hic imperator ingenio excelso ac vario, non latinis modo, sed græcis etiam litteris adeo eruditus, vt à plerisque Græculus diceretur; memoria incredibili; idem mathematicus, architectus, geometra, musicus, statuarius, pictor; multarum denique artium non ignarus, doctos viros in honore habuit, & diuites fecit. Algoris, æstus, laborisque patientissimus, peregrinationis ita studiosus, vt prouincias prope omnes pedibus peragrauerit: belli æque, ac pacis studijs clarus, disciplinæ militaris scientissimus, in qua multa correxit, quæ insequentibus principes probauerunt. denique (vt Sex. Aur. Victoris vtar testimonio) Hadrianus varius, multiplex, multiformis, ad vitia atque virtutes quasi arbiter genitus, impetum mentis quodam artificio tegens, ingenium inuidum, triste, lasciuum, et ad ostentationem sui insolens callide tegebat; continentiam, & facilitatem, clementiamque simulans, contraque dissimulans ardorem gloriæ, quo flagrabat; acerrimus ad laceffendum pariter, & respondendum serijs, ioco, maledictis, referre carmen carmini, dictum dicto, prorsus vt meditatam crederes aduersus omnia; & cetera. Ad hæc, Traiani inuidens gloriæ ex Mesopotamia, Assyria, Armenia, quas ille prouincias fecerat, reuocauit exercitus. Euseb. in chron. Hoc ergo à Christi religione auerso, & veræ pietati infesto, in-

siti-



Stitutamque à Traiano Christiani nominis vexationem prosequente, multi pro fide certantes palmam tulere martyrij. Nominantur in vetustis sacrorum annalium monumentis Ariadna, Philetus cum socijs, item Brixia Iouita, Faustinus, Afra; tum Hesperus cum Zoa coniuge, ac liberis Cyriaco & Theodulo in Græcia passus, Calocerus Albingauni, Aca-cius Alexandria; in Armenia decem millia martyrum crucifixorum: Cæsarea in Cappadocia Eupsy-chius: Romæ Hermes vir illustris, & Theodora eius soror, Seraphia virgo Antiochena, Sabina Romana, Valentini clarissimi viri vxor, Seraphiaque in Christiana fide discipula, Xystus primus Pont. Max. Beryllus, & Liberalis Cannarum Episcopus: in Sabi-nis hi ipsi, de quibus scribimus, Getulius seu Zoticus, Cerealis, Amantius, Primitiuus: Tibure Symphoro-sa cum septem filijs: Tuderti Terentianus Episcopus: Alibi Thamael cum socijs: postremo (vt alios omit-tamus, quorum nomina Deus nouit, pro cuius gloria & honore mortem fortiter & alacriter obierunt) in vrbe Astensi Secundus, à Calocero Christianæ fi-dei rudimentis imbutus, & à Iouita baptizatus. Hic martyrio affectus traditur Anno salutis CXXXIII. Augurio & Sergio Coss. quo anno sanctus Qua-dratus Apostolorum discipulus, & Aristides philo-sophus Atheniensis, vir fide & sapientia clarus li-bros apologeticos pro Christiana Religione conscri-ptos, cum quidam improbi ac perditii homines Christi fideles urgere ac premere conarentur, Hadriano de-derunt; quibus Imperator commotus, & litteris etiam



etiam persuasus nobilissimi viri Sereni Granij, aliàs Serenij Graniani, Legati, qui iniquissimum esse diceret clamoribus vulgi innocentium hominum sanguinem concedi, & sine vlllo crimine, nominis tantum & sectæ reos fieri, persecutionem postero anno, qui CXXXV. fuit, inhibuisse narratur; & Minutio Fundano Asiæ Proconsuli scripsisse, sine obiectu criminum Christianos non condemnandos. Euseb. lib. III. Eccl. hist. cap. IX. & Nicephorus lib. III. cap. XXVII. eius epistolæ posuerunt exemplum, à Iustino Philosopho & martyre memoriæ proditum, qui in priori apologia, quam pro fidei nostræ defensione compositam Antonino Pio ( qui ab Hadriano Cæsare adoptatus, post eum Romanum administravit imperium ) tradidit, talis rescripti auctoritate usus, hæc præfatur. Possumus hoc à vobis ex rescripto maximi & illustrissimi Cæsaris Hadriani, patris vestri, qui ita, vt per supplicem libellum rogauimus, iudicia exerceri iussit, petere; idque non tam quòd ab Hadriano mandatum sit, quàm quòd iustam esse petitionem nostram sciamus. Subiecimus autem Epistolæ Hadriani exemplum, vt hæc quoque parte veritate nos niti cognoscatis.

Hadrianus Cæsar Minutio Fundano.

**L**itteras à Serenio Graniano, viro clarissimo, cui tu in prouincia successisti, accepimus. Inquirenda nobis res prorsus esse videtur, ne homines innocentes opprimantur, neue calumniatoribus occasio  
gras-



*grassandi præbeatur. Quòd si prouinciales tui, persecutiones aduersus Christianos suas processu legitimo pro tribunali probare possunt, vnam eam sequantur viam, neque solis petitionibus atque vociferationibus vtantur. In primis enim conuenit, si qui ad accusandum accedere velint, te causam legitime cognoscere. Itaque si quis eos detulerit, atque probauerit contra leges quidquam commisisse, tu pro delicti qualitate ita sententiam aduersus eos feres. Verum Hercle si quis calumniæ causa crimen cuiquam intendisse compertus fuerit, pro maleficij grauitate, in eū modis omnibus animaduertas. Huiusmodi sententiam habet exemplum epistolæ Hadriani. Euseb. Eccl. hist. lib. iiii. cap. iii. viii. & ix. & in chron. S. Hieron. de viris Illustr. Orosius lib. vii. cap. xiii. Beda, Vsuardus, Ado Vien. in chron. Nicephorus lib. iii. cap. xxi. xxvi. xxvii. Trithemius. Idem Imperator xviii. anno imperij sui Iudæorum gentem, sceleurum suorum furijs exagitatam tumultuantem ac rebellantem per Iulium Seuerum, aliosque fortissimos duces in Iudæam missos internecione deleuit, cæsis vno die quinquies centenis & octoginta millibus, arces quinquaginta euerit, vicos nongentos octoginta quinque diripuit, & ferro ignique vastauit, anti- que Hierosolymorum vrbis reliquias solo æquauit, vt, iuxta Saluatoris oraculum, ne lapis quidem super lapidem relinqueretur; pomærijs contractis nouam restituit, & de suo nomine Aeliam nuncupauit, lege lata; ne cui Iudæo in eam urbem aditus pateret ( quod futurum olim diuini vates prædixerant ) Christianis tantum*



tantum ac peregrinis ciuitate permissa, in ipso autem templi adyto statuam ipse suam equestrem collocauit. Euseb. lib. III. hist. Eccl. cap. VI. & in Chron. Orosius lib. VII. cap. XIII. Dion Cassius in vita Hadriani, Niceph. lib. III. cap. XXIII. Cogitauit etiam ( teste Lampridio in vita Alexandri Seueri) templum Christo edificare, eumque in numerum Deorum referre. Lampridij verba sunt hæc; Alexander septimo die Capitolium, cum in vrbe esset, ascendit; templa frequentauit: Christo templum facere voluit, eumque inter Deos recipere. Quod & Hadrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus sine simulacris iusserat fieri; quæ hodie idcirco, quia non habent numina, dicuntur Hadriani, quæ ille ad hoc parasse dicebatur, sed prohibitus est ab his, qui consulentes sacra, repererant, omnes Christianos futuros, si id optato euenisset, & templa reliqua deserenda.

Vir quidam omnis diuinæ legis peritissimus.] Vsuardus clarissimum, et doctissimum vocat. M. item R. Equilinus autem doctissimum in fide Christiana.

Idemque Christianissimus.] Sic etiam Beda in Martyrologio.

Cetulus nomine.] Sic legitur in Martyrolog. Bedæ, Vsuardi, Adonis, & in exemplaribus Vaticano & Lateranensi. In Codice autem antiquissimo Casinensi scriptum est, Zoticus: in altero item Vaticano Longobardicis characteribus exarato, qui hanc historiam à S. R. E. notarijs, vt creditur, scriptam continet, ita semper legitur, Zoticus, qui & Getulus; quæ quidem lectionem confirmat plumbea lamina in templo

plo



*plo sancti Michaelis Archangeli ad forum piscariū,  
Anno humanæ salutis MDLXII. Pio IV. Pont. Max.  
cum sacris reliquijs SS. Symphorosæ & filiorum re-  
perta, atque hoc epitaphio inscripta,*

*Hic requiescunt corpora sanctorum Mar. Sym-  
phorosæ, & viri sui Zotici, & filiorum eius à  
Stephano Papa translata.*

*Præterea Tibure inscriptiones in templo S. Sab-  
bæ, & S. Angeli repertæ (de quibus suo loco dice-  
tur) & à tergo aræ maximæ veteris Ecclesiæ S. Pe-  
tri Apostoli à B. Simplicio summo Pont. constructæ  
hæc extat inscriptio,*

*Hic requiescit Zoticus martyr.*

*Et in sacrario caput eiusdem lignea capsella in-  
clusum per multa secula servatum est, donec anno in-  
staurati orbis MDLXXXVII. decimo sexto kal. Augu-  
sti solemnī pompa, & ingenti populi frequentia &  
religione translatum est in nouum templum Societa-  
tis I E S V, quod in ea vrbe pia liberalitate Mat-  
thæi Contarelli Cardinalis S. Stephani nuper edifica-  
tum, S. Symphorosæ nomine placuit appellari, quam  
quidem rem alibi plenius & vberius describemus.  
Tiburtini autem alium Zoticum, quàm Getulium,  
non agnoscunt: cuius venerandum corpus cum &  
Romæ in Diaconia S. Archangeli Michaelis, & Ti-  
bure in aede S. Petri Apostoli requiescere perhibe-  
tur, sic accipiendum est, vti Apostolorum Principum  
corpora & in Basilica Vaticana S. Petri, & in Basi-  
lica*



lica S. Pauli via Ostiensi condita esse dicuntur. Neque enim omnia ossa utrobique inesse, sed mediam partem intelligimus. Itaque verisimile est, S. Getulij seu Zotici corpus, cum à Stephano Papa (de quo suo loco dicemus) translatum est, partim Romam partim Tibur fuisse deportatum. Hoc modo eximitur scrupulus plerisque iniectus ex eius lectione libelli, qui de urbis Ecclesiis inscriptus circumfertur, ubi sæpe eorundem sanctorum corpora duobus in locis recondita memorantur. Melius scriberetur, Reliquia, quo nomine non semper integra corpora, siue omnia ossa vnius corporis, sed sæpenumero partem corporis, siue ossium significare voluerunt, sacrorum annalium & rerum ecclesiasticarum Scriptores: quemadmodum in nostris ad Passionem SS. Martt. Abundij & Abundantij Notis docuimus. Hinc profecto sequitur, ut, dum in nouo Martyrolog. Rom. prid. Id. Ianuar. legis: Tibure S. Zotici martyris, eundem hunc Zoticum existimare debeas, qui et Getulius dictus est, & III. Id. Iunias collocatur. Licet enim plures fuerint SS. Zotici martyres probatis in Martyrologijs nominati, vnus in Africa cum Rogato, Modesto, Castulo, & militibus XL. alter Alexandria cum Tharsicio, Cyriaco, alijsque: tertius Nicomedia cum Datio, & Caio (Beda Zosium & Dasium vocat) & duodecim militibus martyrio coronatus: quartus Episcopus Comana in Armenia, Seuerio Imp. fidei causa necatus: quintus in Deciana persecutione cum Irenæo, Hyacintho, & Amantio, Romæ pro Christo peremptus: sextus in Græcia Diocl. et Maximiano

B Impp.



*Impp. cum Agathonico, Theoprepio, Acindyno, & Seueriano: septimus iisdem Impp. in eadem prouincia cum Victore, Zenone, Casario, Christophoro, Theona, et Antonino, Christianæ religionis causa interfectus: nullus tamen eorum videtur ad Tiburtinam ciuitatem magis pertinere, quàm hic, qui alio nomine Getulius appellatus, Tibure & uxorem, & liberos, & amplissimas fortunas se reliquisse in hac ipsa proficitur historia. Accedit constans opinio & fama, vetusque traditio Tiburtinorum, qui hunc Zoticum, cuius sacras habent & venerantur reliquias, Getulium B. Symphorosa Tiburtina matronæ coniugem esse pro certo credunt, ac prædicant.*

*In Sabinorum regione.] Agrum Sabinum inter Narem, & Anienem flumina, & Aequicolos contineri Cato & Sempronius tradiderunt. Strabo autem lib. v. angustum quidem Sabinis agrum, sed in longitudine à Tiberi amne, oppidoque. Nomento per mille stadia, hoc est, centum viginti quinque millia passuum ad Vestinos usque porrectum, assignat. quem agrum xxxv. Mill. pass. ab Hadriatico mari, xxx. à Tyrrheno abfuisse, in longitudinem vero paulo minus cxxv. millibus passuum patuisse ex sententia Catonis, Dionysius primo libro testatur. Florus lib. v. cap. xv. de bello Sabino, hunc usque ad Hadriaticum fere mare pertinuisse ostendit, cum scribit, Curiū Dentatū Consulē omnē eum tractum, quā Nar ambit, fontesque Velini, Hadriatico tenus mari, igne ferroque vastasse. Strabo rursus eodem libro ante eum locum, quem modo adscripsimus, Sabinia inter Latinos Umbrosque iacet;*



iacet; extenditur & ipsa ad Samnitum montes, propinquior Apennino ad Vestinos, Pelignos, & Marsos. Dionysius lib. v. perhibet Anienem fluvium ad Tibur de alta rupe præcipitatum, per campos deinde labi, & Sabinos à Romanis disternare, amœnum aspectu, & potu non ingratum, donec in Tiberim influat. Plin. lib. III. cap. v. Tiberim per XL. millia passuum non procul Tiferno Perusiaque, & Ocriculo Etruriam ab Umbris ac Sabinis, mox circa tredecim millia passuum vrbes Veientem agrum à Crustumino, dein Fidenatem, Latinumque à Vaticano dirimere scribit. Sabini, inquit Strabo, gens antiquissima est, indigenæ & Aborigines. Rerum scriptor Fabius auctor est, Romanos tum primùm diuitiarum sensum accepisse, cum huius potiti sunt gentis. Per ipsos via Salaria non magnæ longitudinis strata est (in quam & Nomentana incidit apud Eretum Sabinorum vicum supra Tiberim iacentem) ex eadem Collina porta inchoans. Nostra memoria Sabiniam appellant quidquid inter lacum Velinum, urbem Reate, Tiberim, Narem, & Anienem flumina continetur.

Haud procul ab vrbe Roma. ] Milliario XIII. vt ex ipsa narratione perspicitur. Aliqua exemplaria locum adijciunt, nominatque sæpius ciuitatem Gavis: quæ quidem vox, cum apud nullum idoneum reperiatur auctorem, aut corrupta creditur, aut noua, & illis temporibus cum ipso simul oppidulo nata, seu vico, quem huiusce scriptor historiæ ciuitatem atque urbem appellat: Ea vero ubi fuerit, ignoratur. neque id mirum videri debet, cum Strabo, Diony-



sus, Pliniusque testentur, iam tum ipsorum etate in agro Sabino complura oppida ita esse desuisse, ut neque vestigia, neque nominum memoria, propter migrationes, apud regionis incolas superesset: alia ruinis collapsa iacuisse quadam cum olim florētissima fuissent, ut Fidena, Collatia, Antena, Cenina, a Fabio Pitore, Virgilio, Livio, Dionysio nominata, quae intra quintum & sextum lapidem ab urbe Roma distabant, Strabo refert sua memoria in paruos vicos redacta. Eadem postea procedente tempore sic prorsus interiere, ut quibus in locis extiterint, haud quaquam appareat.

Tum ex Graecia ] Ergo Graecis litteris & disciplinis instructus.

Alimenta praebens ] Erat enim tum locuples ac dives, ut ipse paulo post docebit, tum beneficus & liberalis in proximos.

Diuinam legem exponebat ] ut qui esset in Christiana fide doctissimus; quod supra significatum est, egregiusque Theologus, quod infra patebit.

Cereale Vicario ] cuiusdam Tutij Cerealis consularis mentionem Plinius facit lib. II. epist. XI. Iulij Cerealis Martialis li. XI. epig. LIII. Martyrologia duos praeterea Cereales martyres habent, alterum Alexandria cum Pupulo, Caio, & Serapione occisum pridie Kal. Martias, alterum militem. x. Kal. Octob. sub Decio Caesare, capite cum Sallustia uxore damnatum. Vicarius autem dicitur, qui vicem alicuius gerit. Caesarum temporibus Romano florente imperio, Duces, Tribuni, atque adeo Praefecti praetorio suos habebant Vicarios, per quos Provincias, aut exercitum regebant. Sic legimus

Vica-



Vicarios vrbis Romæ, Italia, Hispaniarū, Britāniarū, Africę, septem prouinciarū, etc. Aurelianus Imperator, vt Vopiscus refert, ante imperium sub Valeriano Augusto, qui a Sapore Persarum Rege acie victus apud eos miserabili captiuitate vitam finiuit, multos habuit ducatus, plurimos tribunatus, Vicarias Ducum, & Tribunorum, diuersis temporibus prope quadraginta. huius item epistola militaris est ad Vicarium suū data huiusmodi: Si vis tribunus esse, immo si vis viuere, manus militū cōtine, & c. Vlpianus quoq; Crinitus, quem Valerianus Cæsaris loco habere instituerat, eidem Imperatori gratias egit, quòd sibi Vicariū Aurelianū dedisset. hæc Vopiscus. Cerealē igitur aut præfecti prætorio, aut præfecti Vrbi, aut vrbis Romæ Vicariū fuisse existimare debemus. Fuerat autē (inquit Ado) Cerealis in conspectu Hadriani cum fratre B. Getulij Amantio, acceptus.

Christianos instituentem ] Idque laicus faciebat, & maritus. tales fuisse accepimus Tertullianū, Hilarium, Boetium; qui quamuis vxorem haberent, tamen nūc voce, nunc scriptis munus christiani Doctoris vtiliter & gloriose obibant. Animaduertant hoc clerici ecclesiisque præfecti, neque suo ordine graduque alienum arbitrentur ea opportune perdiscere, quæ, vbi res tempusque postularit, conceditos sibi possint ad salutem populos edocere.

Cui tandem, ò princeps, obtemperandum est? ] Sic Petrus & Ioan. in Act. Apost. cap. III. loquuntur: Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire, quàm Deum, iudicate. Et cap. v. Obedire oportet



Deo magis, quàm hominibus.

Amantium (alias, Adamantium) Tribunum.] Tribunum militum intellige, qui primùm mille præfuit militibus, deinde, ubi legio in decem cohortes diuisa fuit, vnã regere cohortem cœpit. Cum enim initio conditæ Urbis exercitus Populi Romani ex tribus duntaxat peditum millibus constaret, tres tantùm Tribuni militum sufficiebant: post auctis Romani imperij opibus, Tribuni sex primùm, postea XVI. in quatuor legiones populi suffragijs creati. Hi vero singuli mille viris præerant, tum, cum Romanus exercitus quatuor legionibus, legio autem quatuor millibus peditum continebatur. Post, cum legiones ipsæ ad quinque millia & amplius militum augeri cœpissent, viginti quatuor Tribuni à populo creati cœpti, sex quæ per singulas legiones distributi. C. Marius (vt tradit Sex. Pompeius) sex millium & ducentorum hominum primus legionem conscripsit. Vt autem qui singulis legionibus præerant, Legati legionis, sic qui cohortibus, Tribuni vel Præfecti vocabantur. hæc ex Liuius, Polyb. Vegetio, & Gell.

Omnibus valefecit.] Hoc est, omnia valere iussi, omnibus vale dixi, siue, nuntium remisi; Euangelicum secutus cõsilium: Omnis, qui reliquerit domũ, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

Si vero est aliquid æternum.] Vt Ethnicus loquitur, veræque philosophiæ ignarus, & qui fortè à suis audisset, nihil esse æternum, sed interitui obno-

xia



xia omnia, animã quoque ipsam esse mortalẽ. hoc autẽ Cerealis dictũ ad illa postrema Getulij verba referendum est, *Ut possem ad æternã peruenire salutem.*

Quo tandem ordine hæc fides suscipienda est? ] Quòd tam cito Cerealis animus incipiat ad credendum inflecti, nemini mirum videri debet. Primum enim auctoritatem exemplumque Getulij, viri sanctitate, doctrina, genere, opibusque præstantis; deinde Amantij amicitiam atque præsentiam, maximi apud eum ponderis esse oportuit; iam, Paulo teste, viuum esse sermonem Dei, & efficacem, et omni gladio ancipiti penetrabiliorem quis nescit? Prima B. Petri Apostoli concio, non oratorij ornamentis exculta, sed Spiritus sancti vi atque efficacitate instructa circiter tria millia hominum ad Iesum Christum repente traduxit.

Ne quid fuscum. ] Fuscum, sordidum, deturpatum vitio naturæ corruptæ, prauæque consuetudinis, sed omnia ad optatum candorem nitoremque reuocentur.

Si vero reliqueris. ] Cum baptismum ad salutem necessarium esse docuisset, quod sine fide Deo placere non possumus, deinceps, quod consilij & perfectionis, non necessitatis est, indicat, ut omnia relinquat, præmio ex Christi Euangelio doctrinaque proposito.

Sanguinem meum fundam. ] Diuinæ magnæ vis gratiæ, qua Cerealis perfusus non modo ad sacrum suscipiendum lauacrum, sed ad martyrium etiã subeundum animatus & paratus iam est.

Ad penitentiã. ] Quæ in adultis necessario an-



antecedit, vt baptisma digne suscipiatur. Cum enim hoc sacramentum ideo sit expetendum, vt Christum induamus, & cum eo coniugamur, erit profecto hac sacra ablutione indignus, qui in vitijs & peccatis permanere constituit, tantum abest, vt eum admissorum scelerum, & male actæ vitæ pœniteat. Quapropter Apostolorum princeps magnæ illi hominû multitudini, qui, vt in Apostolicis actibus scriptum legimus, compuncti corde ab eo, ceterisque Apostolis quid sibi faciendum esset, quæsierant, ita respondit: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum; & alio loco, Pœnitimini, inquit, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. Item B. Paulus ad Romanos scribens, euidenter edicit, ei, qui ad baptismum accedit, omnino moriendum esse peccatis; quare nos monet, ne exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed exhibeamus nos Deo tamquam ex mortuis uiuentes. Quocirca & aquam adituri (vt Tertullianus in libro de corona militis tradit) ibidem, sed & aliquanto prius in ecclesia, sub Antistitis manu contestamur, nos renunciare Diabolo, & pompæ, & Angelis eius: & olim Competentes appellabantur, qui libero arbitrio vtentes, pœnitentiam ab Ecclesia accipiebant, ut digni essent ad Catechismum, deinde ad baptismum accedere. Competens (ait Isidorus) vocatur, qui post instructionem fidei competit gratiam Christi, inde & à petendo competens vocatur. De ijs autem III. de Consecrat. Distinct. XIII. Cano. LV. ex Concilio Agathensi: Symbolum etiam placuit ab  
 omni-



omnibus Ecclesiis vna die, id est, ante VIII. dies Do-  
minicæ Resurrectionis publice in Ecclesia cōpeten-  
tibus prædicari. & I. Dist. XXXIII. Palea ex dictis  
Augustini: Audite carissimi membra Christi, & ma-  
tris catholicæ Ecclesiæ filij. Quod dico competentibus,  
audiant fideles; quod dico fidelibus, audiant com-  
petentes; quod dico fidelibus, & competentibus, &  
pœnitentibus, audiant & catechumeni, audiant om-  
nes & timeant, & nemo contemnat. Sic sit mihi  
in consolatione uester auditus, ne uobis sit in testi-  
monium dolor meus. Competentibus dico, fornica-  
ri uobis non licet. Est eiusdem B. Augustini de expo-  
sitione symboli ad competentes sermo CXXXI. &  
de utilitate ac necessitate pœnitentiæ homilia L ubi  
tres actiones pœnitentiæ statuit, quas mecum, in-  
quit, uestra eruditio recognoscit. Sunt enim usita-  
te in Ecclesia, & diligenter attendentibus notæ:  
Vna est, quæ nouum hominem parturit, donec per  
baptismum salutaris omnium præteritorum fiat ab-  
lutio peccatorum, ut, tanquam puero nato, dolores  
transeant, quibus uiscera urgebantur ad partum,  
& tristitiam letitia consequatur. Omnis enim  
qui iam arbiter suæ uoluntatis constitutus est, cum  
accedit ad sacramenta fidelium, nisi eum pœniteat  
uitæ ueteris, nouam non potest inchoare. Ab  
hac pœnitentiâ, cum baptizantur, soli paruuli sunt  
immunes. Nondum enim uti possunt libero arbitrio,  
quibus tamen ad consecrationem remissionemque  
originalis peccati prodest eorum fides, à quibus of-  
feruntur, ut quas cunq; maculas delictorū per alios  
ex



ex quibus nati sunt, contraxerunt, aliorum etiam interrogacione ac responsione purgentur. Ceterorum hominum nullus transit ad Christum, ut incipiat esse quod non erat, nisi eum pœniteat fuisse quod erat.

Altera vero pœnitentia est, cuius actio per totam istam vitam, qua in carne mortali degimus, perpetua supplicationis humilitate subeunda est, quia vitam æternam incorruptibilem, immortalemq. nullus desiderat, nisi eum vitæ huius temporalis, corruptibilis, mortalisque pœniteat. Tertia actio est pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ legis decalogus continet: & de quibus Apostolus ait, Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. In hac ergo pœnitentia maiorem quisque in se seueritatem debet exercere, ut à seipso iudicatus non iudicetur à Deo. Et lib. de fide & operibus, cap. vi. docēs quando, & quibus sit dandus baptismus, Videamus, inquit, utrum ad percipiendum baptismum sic admittendi sint homines, ut nulla ibi vigilet diligentia, ne sanctum canibus detur: vsque adeo, ut nec apertissimi adulterij perpetratores, & eius perseuerantiæ professores, à sacramento tantæ sanctitatis videantur arcendi: quò sine dubio non admitterentur, si per ipsos dies, quibus eandem gratiam percepturi, suis nominibus datis, abstinentia, ieiunijs, exorcismisque purgantur, cum suis legitimis & veris vxoribus se concubituros profiterentur, atque huius rei quamuis alio tempore licitæ, paucis ipsis solennibus diebus nullam continentiam seruaturos. Quomodo igitur ad illa sancta, recusans correptionem, adulter admittitur



tur, quò recusans obseruationem non admittitur coniugatus? sed prius, inquit, baptizetur, deinde doceatur, quid ad bonam vitam moresque pertineat. Fit hoc, vbi quenquam forte dies vrget extremus, vt ad verba paucissima, quibus tamen omnia continentur, credat sacramentumque percipiat, vt, si ex hac vita migrauerit, liberatus exeat à reatu præteritorum omnium peccatorum. Si autem sanus petit spatium discendi, quæ discenda sunt, quod aliud opportunius tempus reperiri potest, quo audiat quemadmodum fidelis fieri ac viuere debeat, quàm illud, cum attentiore animo atque ipsa religione suspensio saluberrimæ fidei sacramentum petit? An vsque adeo dissimulamus à sensibus nostris, vt vel nos ipsos non recordemur, quàm fuerimus attenti atque solliciti, quid nobis præciperent à quibus catechizabamur, cum fontis illius sacramenta peteremus, atque ob hoc Competentes etiam vocaremur: vel non intueamur alios, qui per annos singulos ad lauacrum regenerationis accurrunt, quales sint ipsis diebus, quibus catechizantur, exorcizantur, scrutantur, quanta vigilantia conueniant, quo studio ferueant, qua cura pendeant? Si tunc tempus non est discendi quæ vita congrua tanto, quod accipere desiderant, sacramento, quando erit? An vero, cum acceperint, in tantis criminibus permanentes etiam post baptismum, non noui homines, sed rei veteres, vt videlicet peruersitate mirabili prius eis dicatur, Induite hominem nouum, & cum induiti fuerint, postea dicatur, Exuite veterem: cum Apostolus sanum  
ordi-



ordinem tenens, dicat; *Exuite veterem, & induite nouum: & ipse Dominus clamet, Nemo assuit pannum nouum vestimento veteri; & nemo mittit vinum nouum in vtres veteres. Quid autem aliud agit totum tempus, quo catechumenorum locum & nomen tenent, nisi vt audiant quæ fides, & qualis vita debeat esse Christiani? vt cum seipsos probauerint, tunc de mensa Domini manducant, & de calice bibant, quoniam Qui manducat indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Quod autem fit per omne tempus, quod in Ecclesia salubriter cõstitutũ est, ut ad nomen Christi accedentes, catechumenorũ gradus accipiant, hoc fit multo diligentius & instantius his diebus, quibus Competentes vocantur, cum ad percipiendum baptismum sua nomina iam dederunt. & Epist. CLV. Marciano veteri amico gratulatur, quod Catechumenus sit factus, hortans illum, vt baptismum accipiat, & Eucharistiam: clauditq; his verbis Epistolam, Tua mereri scripta desidero, & te nomen dedisse inter Competentes, vel daturum esse iam iamq; cognoscere. Dominus Deus noster, in quem credidisti, & hic, & in futuro sæculo te conseruet, domine merito suscipiende, & in Christo dilectissime ac desideratissime frater. Eodem pertinet, quod B. Greg. Magnus Fantino defensori in Sicilia scribit Epist. XXIII. lib. VII. Indictione I. Domina Abbatisa, inquit, Monast. S. Stephani, quod in Agrigentino est territorio constitutum, indicante comperimus, multos Iudæorum ad Christianam fidem, diuina gratia inspirante, velle conuerti, sed esse necessarium, vt ali-*



aliquis illuc ex nostro mandato debeat proficisci. Proinde huius tibi auctoritatis tenore precipimus, ut omni excusatione submota ad prædictum locum pergere, & desiderium eorum tuis, Deo propitio, adhortationibus adiuuare festines. Quibus tamen si longum vel triste videtur solennitatem sustinere Paschalẽ, & eos nunc ad baptisma festinare cognoscis, ne, quod absit, longa dilatio eorum retro possit animos reuocare, cum fratre nostro Episcopo loci ipsius loquere, ut pænitentia, ac abstinentia quadraginta dierum indicta, aut die dominico, aut si celeberrima festiuitas fortassis occurrerit, eos omnipotentis Dei misericordia protegente baptizes. Si vero sanctum Pascha elegerint expectare, iterum cum Episcopo loquere, ut modo quidem Catechumeni fiant, atque ad eos frequenter accedat, geratque sollicitudinem, & animos eorum admonitione suæ adhortationis accendat, ut quanto quæ expectatur, est longa festiuitas, tanto se preparent, ut eam desiderio feruenti debeant sustinere; et c.

Triduanum ei indixere ieiunium. ] Hanc consuetudinem significauit Augustinus loco, quem supra ex lib. de fide et operibus Cap. vi. exscripsimus.

Xystum vrbis Romæ Episcopum. ] Ex antiquo more: sic etiã ad S. Urbanũ missus est Valerianus B. Cæciliæ sponsus baptizandus. Neque id muneri sobire dedignabantur sanctissimi illi Pontifices, qui nihil aliud cogitabant aut curabant, quàm cultum & gloriam Dei, salutemque mortalium. fuit autem hic Xystus primus, Romanus è regione via Latæ,



*tæ, tenuitque Apostolicam Cathedram septimus à B. Petro, annis X. creatus Pontifex Traiano Imp. anno Christi CXVII. Kal. Decembr. occisus fidei causa sub Hadriano principe VIII. Id. April. anno Domini CXXVII.*

*In cryptam quandam. ] accersitum B. Xystum in Sabinos duxerunt, ubi Getulius erat. Cur autem in cryptam ingressi sunt? Verisimile est eam cryptam fuisse illis pro Ecclesia & oratorio, per illa præsertim tempora, cum latebras Christiani petere cogentur, quòd in propatulo sacra mysteria obire, aut Ecclesias Christiano ritu edificare haudquaquam liceret, ob rabiem Tyrannorum, & Christiani nominis inuidiam: qua de re in nostris ad SS. Abundij & Abundantij martyrum historiam notis fecimus mentionem.*

*More christiano eum catechismo imbuunt. ] Hunc morem cum ipsa Ecclesia quodammodo natum Augustini, quæ modo attulimus, scripta testantur; ut mihi necesse non sit alijs testimonijs in eam rem producendis cartas implere. catechismus, uti & catechesis, græca vox est; à verbo κατηξω, instituo, admoneo, vel κατηξω, audio, initor, voce erudio, ab ἡξω, quod est, sonare voce. Isidorus lib. orig. VII. Catechumenus, inquit, dictus pro eo, qui adhuc doctrinam fidei audit, nec dum tamè baptismum percepit. nam κατηξόμενος Græcè auditor dicitur. Priscis Theologis apud Aegyptios morem fuisse ferunt, ut mysteria voce tantum, veluti per manus posteris relinquerent. Apud Christianos, qui baptismatis erant*



erant candidati, ijs viua voce sine scriptis fidei Christianæ mysteria tradebantur. Itaq. Catechumenos sæpe tum Audientes, tum Auditores, Cyprianus & Tertullianus ætatis suæ more appellant. Iis doctor apud veteres præficiebatur. Vnde idem Cyprianus Epist. xxii. lib. iii. scribit se Optatū consentientibus presbyteris, doctoribus, & lectoribus, doctorem Audientium constituisse. Demetrius Episcopus Origenem Adamantium catechumenis apud Alexandriā magistrum præfecit. Quo quidem munere primus post Apostolos Alexandria Pantænus, proximus Clemens, tertius Origenes Clementis discipulus functus est. Auctor Euseb. Eccl. Hist. lib. vi. Cap. iii. Audientium item mentionem facit Concil. Nicæ. i. Can. xiii. & apud Grat. xii. quæst. ii. Can. de viro. Hos fidei tyrones nouitiolos etiam Tertullianus libro de penitentia vocat: Qui sanè in templo manebant, donec Euangelium exposuisset Episcopus. Tum Levites clamabat, Catechumeni exeunto; vel, Si quis catechumenus remāsit, Exeat. Ab hac catechumenorū dimissione, venerando altaris sacrificio nomē est Missæ tributum: vt in Lexico Isidori refertur. Sic Consul Romanus dimittebat: & in quibusdam Ethnicorum sacrificijs Lictor clamitabat, Hostis, vincētus, mulier, virgo, Exesto, idest, extra esto: scilicet interesse prohibebatur. Festus. Hodie in fine Sacri, Leuita pronunciat, Ite, missa est, vt idem sit, quod, missio est; quod olim initio dicebatur, ante quam videlicet ipsa mysteria inciperentur. Hinc iuxta vulgarem consuetudinem Ambrosius, Missas facere, dixit. A par-

te



te totum est nominatum. Nam proprie missa erat tē-  
pore sacrificij, cum Ecclesia exire catechumeni, vt  
diximus iubebantur. Eosdem Dionysius susceptores,  
compatres vulgus appellant. Sic etiam per ea tem-  
pora remissam, pro remissione dixere: Cyprian. lib.  
de bono patientiæ. Dominus, inquit, baptizatur a ser-  
uo, & remissam peccatorum daturus, ipse non dedi-  
gnatur lauacro regenerationis corpus abluere. Et  
Epist. XIII. Qui autem blasphemauerit in spiritum  
Sanctum non habet remissam, sed reus est æterni pec-  
cati. Et Tertullian. aduersus Marcionem lib. IV. Di-  
ximus de remissa peccatorum.

Obtulit sancta libamina.] Adorandum Missæ  
sacrificium significatur, quod ab Ecclesia, & à san-  
ctis Patribus sacrificium, & laudis sacrificium, in-  
cruentum sacrificium, mysticum ministerium, sancta,  
diuina mysteria, sacra mysteria, sacra mystica, obla-  
tio, hostia, sacra munera nominantur. Has autem  
voces libamen, libamentū, libationem, vt ipsum libā  
di verbum, sacris a Latinis attributas, atque in ve-  
teri instrumento sepius eadem in re vsurpatas, Ec-  
clesia ita recepit, vt hoc salutare atque unicum sa-  
crificium designaret. Hinc illa sunt; Diuina libantes  
mysteria, & Ad superni plenitudinem sacramenti,  
cuius libauimus sancta, tendamus, et c.

Participes eos fecit sacrosancti corporis &  
sanguinis Christi.] Tunc enim ex veteri more con-  
suetudineque nascentis Ecclesiæ, laicis etiā, ut cuiq.  
libuisset, sub utraque specie sacra Eucharistia imbar-  
tiebatur: id hoc loco & illud simul indicatur, Chri-

fi



sti corpus statim post baptismū dari solitū. Medicus ille Iudæus à S. Basilio, paulo post morituro, baptizatus simul, & hac caelesti refectus est mensa.

In fide cōfirmasset] Id his verbis significari puta, Christianos illos Xysti cohortatione ad fidei, & pietatis constantiam confirmatos & instructos fuisse.

Aurum publica exactione collectum asportaturus] Id a Cereale collectum licet intelligi ex ijs, quæ paulo inferius ab ipso dicuntur, Et thesauros publicos declinatione perfecta tradidi in publicum. Idcirco enim (aliæ quoque causæ forsitan erant) officiales illi Cerealem quærebant, vt pecuniam publicam, quam exegisset, Vincentio traderet, arario inferendam. Vnde Ado, Eodem tēpore, inquit, quidam, Vincentius nomine, nummorū Arcarius, comperiēs vicarium Cerealem christianum, iratus valde nunciavit hoc Hadriano, qui mox Licinium Consularem direxit, &c. Ea porro pecunia ex pensionibus redigebatur, quarum tria genera apud antiquos fuisse docet Asconius in. IIII. Ver. Canonem, oblationem, indictionem, vt sit hodie Canon, ait Budæus, quod domanium dicitur, vt portoria, vectigalia, & huiusmodi; oblatio, quæ auxilia nunc dicimus, vt octava vini heminatim diuenditi, & vicesima eius, quod cupatim culeatimque vanit: reliquarumque mercium, quæ à solidariis negotiatoribus uēduntur, quos grossarios appellant; quæque à minutarijs, & venditatoribus, qui et propolæ dicuntur, hoc est, non sua vendentes, sed à negotiatoribus emptitata, pluris postea vendentes; Indictio est, quam taleam vocamus; an-

C tiqui



tiqui collationem vocabant; Cicero etiam collectam dicit; Græci ἱεραγωγὸν appellant, & συμβολὴν. Hodie coactores, id est receptores, canonarios, oblationales, indictionales, fiscarios, et ararios, alijsque nominibus appellare licet latine loquētibus. hæc Budæus. Est in C. lib. XII. titulus LXI. de executoribus, et exactoribus; ubi exactor intra annum, quid exegerit, iubetur ostendere, et si non exegit, causam denotare, cur non exegit. dicitur itē, exactorē præfecti prætorio, antequam exactiōne publicarum pecuniarū susceptam impleat, aliam suscipere non posse; si tamen fuerit necessitas, duas exactiōnes simul in eadem provincia faciendas suscipere posse, sed non tres. Quæ quidem licet ab Imp. Arcadio, Honorio, Zenone, Anastasio, & Iustiniano Augustis manarint, qui longissimo temporum interuallo Hadrianum sequuti sunt, aliquam tamen huic loco possunt lucem asferre. pleraque etiam huius generis à maioribus priscisq; Cesaribus instituta, & per manus tradita posteriores Augusti acceperunt, & accepta retinuerunt atque seruarunt.

Relictis que dijs, phantasmata [lectatur] constat aliud esse phantasiā, aliud phantasma. phantasiā definiunt imaginem rerum animo insidentium, speciem, quæ animo concipitur, imaginationem, figurā alicuius rei, quæ sensu comprehensa est, relictam in mente. Quintil. lib. VI. cap. II. Quas phantasias Græci vocant, nos sane visiones appellamus, per quas imagines rerum absentium ita representantur animo, ut eas cernere oculis ac præsetes habere videamur. Ci-  
cero



cero visum vocat lib. I. *Academ.* De sensibus ipsis quædam dixit noua, quos iunctos esse censuit è quadam quasi impulsione oblata extrinsecus, quam ille phantasiam, nos visum appellemus licet. phantasma vero, quod menti occurrit, velut id, quod per quietem siue in somnis videmus. Itaque phantasma dicitur imaginatio seu visio eius, quod non est, phantasia eius solum, quod est, auctore Suida. Aristoteles (si modo is illius est auctor opusculi) libro de mundo cap. III. phantasmata pro ijs accipit, quæ apparent tam verè quam falsò: Eorum, inquit, quæ in aere apparent, alia specie tenus existunt, alia etiam habent naturæ subsistentiã, sic vertit Budæus. Ethnici homines à veritate atque à recta religione alieni, cū simulacra manufacta, & omni quidem sensu carentia, sed humanis tamen exposita sensibus, pro Dijs haberent & colerent; verum Deum, qui spiritus est, & lucem habitat inaccessam, & mortalibus oculis cerni non potest, ignorantes, & Christianis eius cultoribus illudentes, phantasma dicebant, perinde quasi & ipsi certos ac præsentis Deos suos ostenderent, & nos numen veneremur incertum, abditum, atque absens; Hinc illud est Lucani Poetæ lib. II. Et dedita sacris incerti Iudæa Dei: & Corn. Tacit. lib. XXI. Romanorum primus, inquit, Cn. Pompeius Iudæos domuit, templumque iure victoriæ ingressus est. Inde vulgatum, Nulla intus Deum effigie vacuam sedem, et inania arcana. Verum enim vero religio Christiana (vt sanctus Augustinus lib. de ciuitate Dei. VIII. cap. XXIII. docet) quanto est veracior atque san-



Etior, tanto vehementius & liberius cuncta falsa figmenta subuertit, vt gratia verissimi Saluatoris liberet hominem ab ijs dijs, quos facit homo. & paulo post; Citius fit, vt homo in honore positus pecoribus non intelligens comparetur, quam vt operi Dei ad imaginem eius facto, id est, ipsi homini opus hominis præferatur. Quapropter homo merito deficit ab illo, qui eum fecit, cum sibi præficit, quod ipse fecit. Et lib. de vera innocentia cap. CXXV. Sic sunt qui colunt idola, quomodo qui in somnis vident vana, si autem euigilet anima ipsorum, intelligit à quo facta sit, & non colit quod ipsa fecit.

Licinium consularem ] Nationum & prouinciarum nouam quandam diuisionem Hadrianus excogitauit, Imperiumque longè diuersa ratione disposuit ab ea, quam constituerat Augustus. Quod breuiter his verbis Sex. Aurelius Victor ostendit: Officia sanè publica & Palatina, necnon militiæ in eam formam Hadrianus statuit, quæ paucis per Constantinum immutatis hodie perseuerat. Atque (vt præter ceteros auctores Sex. Rufus memoriæ prodit) in primis Italiam in XVII. diæceses, siue prouincias, siue administrationes distinxit; quibus singulis suos magistratus præfecit, quorum aliquos Consulares, aliquos Correctores, aliquos Præsides appellauit. Consulares octo, Correctores duos, præsides septem fuerunt. Iustinianus Aug. Authen. in Constit. XVII. Correctores, Consulares, & Spectabiles inter eos indices numerat, qui minores vel medias administrationes gerunt. In antiquis martyrologijs ætisque Sanctorum



Etorum obseruauimus tam consulares, quàm præsi-  
des, Præfectorum etiam nomine nuncupari: exempli  
gratia, Apricius, qui Diocletiano Imp. Cappadociæ  
præfuit, VI. Febr. a Maurolyc. & M. R. Præses, a Be-  
da præfectus vocatur: Nicetius item, qui Bithyniã  
sub eodem rexit Imp. II. Aug. Consularis, XXI. De-  
cemb. Præfectus nominatur: hic ipse Licinius Consu-  
laris, à Beda præfectus appellatur. ijdem Proconsu-  
les etiam aliquando dicuntur; licet olim Ro. florente  
republica Procōsul is esset, cui annuo magistratu per-  
functo, cum non expediret consulem è prouincia de-  
cedere, ne sine honore esset, imperium sæpe proroga-  
batur, vt eam prouinciam proconsul, non vt consul,  
administraret: postea hoc nomē ad eum etiam traditum  
est, qui cum consulari potestate extraordinaria  
ad aliquã regendam prouinciam mittebatur. Augu-  
stus, teste Suetonio cap. XLVII. prouincias validio-  
res, et quas annuis magistratuū imperijs regi nec fa-  
cile, nec tutū erat, ipse suscepit: ceteras Proconsuli-  
bus sortitō permisit. Idē consulares cū iure gladij ci-  
uitatibus Italiæ dedit. Hadrianus quatuor præterea  
cōsulares per Italiã iudices cōstituit. Aelius Spartia-  
nus in Hadriano: Iulius itē Capitolinus in Ant. Pio;  
Antoninus, inquit, ab Hadriano inter quatuor con-  
sulares, quibus Italia cōmittebatur, electus est ad eã  
partē Italiæ regendã, in qua plurimū possidebat. Idē  
in M. Ant. Philosopho; Datis Iuridicis Italiæ cōsu-  
luit, ad id exēplū, quo Hadrianus cōsulares viros red-  
dere iura præceperat. A dicēdo iure præfectos Italiæ  
ab Hadriano principe institutos intelligit, inquit E-



gnatius. Est in i. lib. Digest. tit. XIX. de officio Iuridici. Hos autem quatuor consulare, diuersos ab illis octo, quos Sex. Rufus ponit, existimare debemus. Licinius consularis, cuius fit in hac Historia mētio, vtro in numero fuerit, non disputabo; nihil enim, aut certe non multum refert; atque vtrumcumque dicatur, id à proposito non abhorrebit.

Ad urbē Sabinorum. ] Gaius nominatur ab hoc scriptore, sed vbi ea fuerit, incompertum est. fuisse autem iuxta Eretum oppidum ( uicum appellat Strabo lib. v. ) suspicari licet ex eo, quòd ab Roma XIII. mill. abesse dicitur in historia.

Sanctosque sibi vinctos exhiberi. ] Hoc est, presentari, seu Sisti, vt tum ij loquebantur, qui sanctorum acta scribebant, apud quos aliter etiam verbum id vsurpatur, cum S. Romanus martyr fustibus exhibitus dicitur; quod aliàs scribitur caesus, debilitatus, contusus. Beda tamē et Vsuardus habent, Cū fustibus exhibitus, ac decollatus est. M. R. Et mox exhibitus, ac fustibus caesus, ad vltimū decollatus est

Sacrifica Dijs Ioui & Marti. ] Illum vt summum Deorum, hunc vt Ro: generis parentem, præsidentemque in bello, colebant; vtrique autem in vrbe vt varia cognomina indita sunt, sic etiam simulacra & templa erecta: Ioui Feretrio primum in vertice collis Capitollini à Romulo votum atque ædificatum, Liu. lib. i. Valer. lib. III. cap. II. Florus lib. i. cap. II. Propert. lib. III. eleg. XI. Ouid. Dionys. Plut. Sextus Pomp. & alij. Secundum Ioui Statori, idque duplex, vnum ad radices Palatij siue montis Palatini, forumq.



forumque Romanum, ab eodem Romulo votum, & excitatū. *Liuius lib. 1. Ouid. in Fast. & alij: Alterū ad finem circi Flamini, à L. Postumio Megello & M. Attilio Regulo Cos. votum. vt Liu. lib. x. & à Q. Metello Macedonico factū, de quo Velleius Paterculus: Tertium Ioui optim. max. siue Ioui Capitolino, in eodem Capitolio à Tarquinio prisco votum, à Superbo conditum, à M. Oratio Cos. collega Publicolæ dedicatum. Liu. lib. 1. Ouid. 11. Fast. Dionys. & c. Quartum Ioui Sponsori ab Tarquinio superbo in Capitolio positum, & a Postumio dedicatum; Quintū Ioui Victori in Palatio à Q. Fabio Maximo quintum Cos. votum; Liu. lib. x. Ouid. 111. Fast. Sextum Tonanti Ioui, quod in Capitolio Augustus exstruxit & consecrauit, liberatus periculo, cum in expeditione Cantabrica per nocturnum iter lecticam eius fulgur perstrinxisset, seruumque prælucentem exanimasset. Suet. in August. cap. xxix. Septimum Ioui Vltori, Pantheon. à M. Agrippa Augusti genero factum, de quo Plin. lib. xxxvi. cap. xv. Pantheon autem idcirco dicitur appellatum ab Agrippa, quòd post Iouem dijs omnibus consecrauit; Alij vero, siue quòd matri Deum, atque omnibus dijs sacrum esset, siue quòd mundi formam, hoc est, circularem, haberet, Pantheon nominatum affirmant. Octauum Ioui Custodi in Capitolio, ab Imp. Domitiano excitatum. Suet. in Domitiano cap. v. Aliud denique, vt Liuius scribit lib. xxxiiii. à L. Furio Purpurione prætore votum, ab eodem postea Cos. locatū, & à C. Seruilio duumuiro dedicatum in insula Tiberina iuxta adem*



Aesculapij, qui medicæ artis Deus est habitus, cui-  
 que tota insula sacra erat ob eius simulacrum, specie  
 serpentis ab Epidauro accersitum, & in eam adue-  
 ctum; qua de re Valerius lib. I. cap. VIII. Ouid. lib. XV.  
 Metamor. Liuius ad calcem. X. libri, Plin. lib. XXIX.  
 cap. IIII. sic, Atqui anguis Aesculapius Epidauro  
 Romam aduectus est, vulgoque pascitur & in domi-  
 bus. Lactant. II. cap. XVII. Hinc, quod serpens urbem  
 Romam pestilentia liberavit, Epidauro accersitus.  
 Nam illuc *δαίμωνιοφως* ipse in figura sua sine dissi-  
 mulatione per ductus est: siquidem legati ad eam re-  
 missi, draconem secum miræ magnitudinis attule-  
 runt. De hac æde Sex. Pompeius, In insula, inquit,  
 Aesculapio facta fuit ædes, quod ægroti à medicis  
 aqua sustententur; Eiusdem esse tutelæ draconem  
 aiunt, quod vigilantissimum sit animal; quæ res ad  
 tuendam valetudinem ægroti maxima est: canes ad-  
 hibentur eius templo, quia is vberibus canis sit nu-  
 tritus: bacillum habet nodosum, quod difficultatem  
 significat artis: laurea coronatur, quod ea arbor plu-  
 rimorum sit remediorum. Huic Gallinæ immolaban-  
 tur. Sunt qui putent hanc ædem in insula idcirco con-  
 stitutam fuisse, quod fluxu motuque aquarum sit aer  
 salubrior, alioquin extra urbem poni cõsueuisse Plin.  
 lib. XXIX. cap. I. his verbis testatur; Ideo Romani  
 templum Aesculapij, etiam cum reciperetur is  
 Deus, extra urbem fecisse, iterumque in insula tra-  
 duntur. Huic ædi propinquum erat Nosocomium,  
 hoc est latine, valetudinarium, locus, vbi ægroti cu-  
 rantur. Id Suetonius indicat in Claudio cap. XXV. Cũ  
 quidam,



quidam, inquit, agra & affecta mancipia in insula  
 Aesculapij, tadio medendi exponerent; omnes, qui  
 exponerentur, liberos esse sanxit, nec redire in di-  
 tionem domini, si conualuissent; quòd si quis necare  
 mallet quem, quàm exponere, cædis crimine tene-  
 ri. Vt autem Iouis fanum fuisse dicitur, vbi nunc  
 est ecclesia S. Bartholomæi Apostoli, sic Aescu-  
 lapij, vbi Sancti Ioannis Euangelistæ, & S. Ioan-  
 nis Calybitæ cernitur templum; De vtroque P. Vi-  
 ctor in libello de vrbis Romæ regionibus & lo-  
 cis, Regione XIII. Transiberim, In Insula ædis Io-  
 uis, & Aesculapij, & ædis Fauni. Ceterum ædis,  
 vt ædes, nominatio singulari dixit, sicut & Var-  
 ro lib. de lingua latina III. & lib. I. de vita populi  
 Romani, & Festus, & Nonius: Hinc est diminu-  
 tiuum adicula, vt ab auis auicula; ab ædes autem  
 fieret potius adecula, vt à vulpes uulpecula. Hæc  
 dixerim, ne quis in verbis P. Victoris erratum  
 suspicetur; quæ illud etiam videntur significare,  
 vnam videlicet eandemque fuisse ædem Iouis &  
 Aesculapij; sed hanc suspicionem erroremque Oui-  
 dius tollit, cum in I. Fastorum sit canit,

Quod tamen ex ipsis licuit mihi discere fastis,

Sacrauere patres hac duo templa die.

Accepit Phæbo, Nymphaq; coronide natum  
 (id est Aesculapium)

Insula, diuidua quam premit amnis a qua.

Iuppiter in parte est: cepit locus vnus vtrumq;

Iuncta que sunt magno templa nepotis auo.

Eodem loquendi genere vsus est Vitruuius lib. III.

cap.



cap. I. Prostyli exemplar est in insula Tiberina in æde Iouis & Fauni; hanc Iouis ædem proxime demonstrauimus; ædem vero Fauni in eadem insula P. Victor ponit; Liuius lib. XXXIII. à C. Scribonio & Cn. Domitio Aedilibus ex mulctatitio argēto faciendam locatam, ab eodemque Domitio postea prætore urbano dedicatam refert. Ouid. II. fastorum, in pro-ra (siquidem forma nauis, quæ anguem Aesculapium dicitur aduexisse, non insulæ modo data est, sed memoriæ causa nauis etiam ex Thasio lapide sculpta in eiusdem insulæ puppi collocata, & in altero eius latere serpentis effigies) fuisse ostendit, cum dicit, Idibus agrestis fumant altaria Fauni

Hic, vbi discretas insula rumpit aquas.

Eius ædis nunc vestigia nulla cernuntur. Ab ijs templis insula tum Iouis Lycaonij, tum Aesculapij appellata est. Ceterum sicut vtriusque Dei, seu verius Cacodæmonis has proximas sedes Christus verus & vnicus Deus suorum Apostolorum Ioannis & Bartholomæi nomine occupauit; ita antiquissimum illum Nosocomij vsum atque ædificium eodem pænè loco his proximis annis renouauit per homines insigni religione, modestia, vitæque integritate ac seueritate conspicuos, in quibus nullum humanitatis & Christianæ charitatis aduersus ægrotos desiderare possis officium. Indignum enim profecto erat, hoc, aut alio quouis virtutis & officij genere ethnicos Christianis præstare. Marti quoq; sua fuere templa: vnū extra portam Capenam via Appia elegans, & magnum, quod Martis extramuranei

nei



nei dicebatur, à Sylla Felice restitutum, ampliaturumque, ac supra centum columnas positum tradunt: de hoc Cic. III. ad Q. Fratrem VII. Ouid. VI. Fast. Linius pluribus locis, & alij; vt Servius, qui enarrans illud Virgil. in I. Aeneid.

Cana Fides, & Vesta. Remo cū fratre Quirinus  
Iura dabunt.

Martis, inquit, duo templa; vnum Quirini intra urbem prope portam; quasi custodis, & tranquillitatis: alterum in via appia extra urbem, quasi bellatoris & gradini. de hoc Ouid. lib. VI. Fast.

Lux eadem Marti festa est, quæ prospicit extra Appositum rectæ porta Capena viæ.

Etenim, ut Vitruuius lib. I. cap. VII. docet, Martem, Venerem, & Vulcanum veteres Romani Etruscorum disciplina edocti, extra mœnium septa collocandos censuerunt, propterea quod libidini, uoluptati, incendijs, iurgijs, litibus præsent. Eos in urbe coluerunt, qui frugi essent, hoc est, qui ijs rebus præessent, vnde ad matronas & adolescentiam nihil mali manare posset, atque adeo qui prodesse, Vitruuij verba sunt illa; Aedibus vero sacris, quorum deorum maxime in tutela ciuitas videtur esse, vt Ioui, & Iunoni, & Mineruæ, in excelsissimo loco, vnde mœnium maxima pars conspiciatur, aræ distribuantur: Mercurio autem in foro, aut etiam, vt Iusidi, & Serapi, in emporio, Apollini patrique Libero secundum theatrum: Herculi, in quibus ciuitatibus non sunt gymnasia neque amphitheatra, ad circū: Marti extra urbem ad campum: Itemq. Veneri ad portam.

Id



Id autem etiã Etruscis aruspibus, disciplinarum scriptis ita est dedicatum: extra murum, Veneris, Vulcani, Martis fana ideo collocari, vti nõ insuescat in vrbe adolescentibus, seu matribus familiarum Venerea libido: Vulcanique vi è manibus, religionibus, & sacrificijs euocata, ab timore incendiorum, ædificia videãtur liberari. Martis vero diuinitas, cū sit extra mœnia dedicata, non erit inter ciues armigera dissensio, sed ab hostibus ea defensa, à belli periculo conseruabit. Item Cereri extra urbem loco, quò non semper homines, nisi per sacrificium, necesse habeant adire, cum religione, castè, sanctisque moribus is locus debet tueri. Hæc Vitruuius, cuius præceptũ non semper seruatum fuisse ex eo facile patet, quòd infelices illi cæcique homines interdum alios etiam in urbem Deos, ne obsessent, ascinerunt. Nam Febris fanum in Palatio fuisse apud Cicer. libro III. de Nat. Deor. legimus, Quis, inquit, tantus error fuit, vt perniciosus etiam rebus non modo nomen Deorũ tribueretur, sed etiam sacra constituerentur? Febris enim fanum in Palatio, & ædem Larum, & aram Malæ fortunæ in Esquilijs consecratam videmus. & II. de leg. & apud Valer. max. libro II. cap. I. de institutis antiquis, Febrem autem ad minus nocendum templis colebant, quorum adhuc vnum in Palatio, alterum in area Marianorum monumentorum, tertium in summa parte Vici longi exstat: in eaque remedia, quæ corporibus ægrorum adnexa fuerant, deferebantur: & apud Plin. lib II. cap. VII. Veneris item ædem fuisse in foro Cesaris vel ipse Vitruuius docet



docet lib. XII. cap. II. apud circum maximum Livi-  
 collocat lib. X. Vulcani autem & in Circo Flamminio,  
 & apud Comitium fuisse scribunt Dion, f. & Sex.  
 Pompeius. Malam fortunam in Exquilijis fanum ha-  
 buisse Cicero III. de Nat. & II. de leg. ut proxi-  
 me diximus, & Plin. lib. II. cap. VII. tradunt. Martis  
 vero Vltoris templum ad forū Augusti constituūt  
 Ouid. v. fast. Plin. lib. XXXVI. cap. XIV. Suet. in Aug.  
 cap. XXXIX. Id Aug. bello Philippensi siue Pharsa-  
 lico, quod pro paterna vltione susceperat, vouit,  
 voti q. reus, in ea parte sui fori extruxit, quæ. S. Mar-  
 tine Virginis & mart. ædem attingit, sanxit q. ut de  
 bellis, triumphisq. hic consuleretur Senatus, provin-  
 cias cum imperio petituri hinc deducerentur, qui q.  
 victores redissent, huc insignia triumphorum infer-  
 rent. A quibusdam hæc ipsa ædes S. Martine illud  
 Martis Vltoris templū fuisse existimatur. Veteres  
 enim Christianæ Romæ Pontifices, Apostolorū prin-  
 cipis successores, diuina quadam sapientia præditi, il-  
 lud etiam animaduertent atque seruarunt, ut, cū  
 propaganda religionis causa templa falsorū & ina-  
 nium Deorum in cultum veri Dei cōuerterent, atq.  
 in Sāctorum eius honorem consecrarent, quoad eius  
 fieri posset, aliquam in ijs aut rei aut nominis simili-  
 tudinem retinerent. hoc modo Pantheon, quod Ioui  
 Vltori, aut Matri Deum, & dijs omnibus sacrum  
 fuisse diximus, cum B. Maria, quæ & à forma tem-  
 pli Rotūda, et Ad Martyres nominatur, omniūq. San-  
 ctorum nomine cōmutarunt: S. Apollinaris Eccle-  
 siam ab Hadriano I. Pontifice max. ubi prius ædes  
 Apol-



*Apollinis fuerat, ædificatam refert ex Pandulpho Lateranensis basilicæ Ostiario Blondus lib. III. in-  
stauratæ Romæ. iuxta fanum Herculis, qui Alexi-  
cacos à Græcis, id est, malorum depulsor, appella-  
batur, ædificata in Auentino ab Aglae matrona, no-  
mine Sancti Bonifacij mart. ædes, postea S. Alexij  
etiam, illato in eam ipsius corpore, nominata est.  
Templum Romuli ac Remi fratrum, Sanctis Martt.  
Cosmæ & Damiano fratribus dicatum est. Demum,  
vt alia omittamus, in Ecclesia S. Virginis, ac mart.  
Christi Martine Romanæ dedicanda, siue olim ea se-  
cretarium Populi Romani ( vt hæc vetus inscriptio  
indicare videtur, quæ in eodem visitur templo,*

*Saluis Dominis nostris Honorio & Theodosio  
victoriosissimis principibus Secretarium*

*amplissimi Senatus, quod inlustis*

*Flavianus instituerat, &*

*fatalis ignis ab-*

*sumpsit,*

*Flavius Annius Eucharis Epifanius. v. c. Præf.  
Vrb. sacra Iud. reparauit, & ad pristinam faciem  
reduxit) siue templum Martis fuerit, nominis cer-  
te habitam rationem uidemus. Aedes hæc, ut  
pleræque aliæ, quondam gradibus adibatur, no-  
stra ætate à fronte adeo depressa est, vt per mul-  
tos in eam gradus descendatur. Quanto autem supe-  
rioribus sæculis in honore fuerit, intelligere est ex  
Rituali omnium vetustissimo libro, qui in Vaticana  
bibliotheca seruatur in codice manuscripto, qui in-  
scribitur Censuum S. R. E. compositus anno Christi*

*M. CXII,*



M. CXII. à Cencio siue Cynthio Sabello Diac. Card. S. Lucie in Orpnea, & S. R. E. Camerario, sub Cælestino III. Summo Pont. à quo is Cardinalis factus, Innocentio. III. postea successit, & Honorius III. est appellatus. Is igitur liber docet per ea tempora morem fuisse, ut in Purificatione B. Mariæ Virginis prima luce Pontifex max. vnà cum Cardinalibus ad Ecclesiam S. Martine prope forum Rom. adiret, ibique primum tertiæ horæ psalmos decantaret, deinde pontificales sacras vestes indutus, cereosque ab ultimo presbyterorum Cardinalium sacratos, templo egressus, & pro foribus sedens manu sua populo tribueret, tum per proximam porticum in S. Hadriani ad eum se conferret: cumque pone aram maximam in sella consedisset, sextæ psalmos persolueret, deinde sacris alijs indumentis ornatus candelas singulis Cardinalibus, & ceteris clericis, laicisque dispertiret; huc ubi decem & octo Diaconiarum clerici post sacrorum solemniam suis quique prælati imaginibus cum populo concinentes conuenissent; tum Pontifex inciperet tibialibus detractis inde procedere, & antecedentia cum cantoribus sacra vexilla atque imagines sequens, ad Basilicam S. Mariæ Maioris perueniret, ubi crepidas exutus, nudis pedibus (quod quidem omnibus in supplicationibus, in quibus modo pedibus incederet, seruare solitus erat) Ecclesiam ingressus, post hymnum, Te Deum Laudamus, in Secretarium se reciperet, pedibusq. aqua calida lotis, denique cum vestitu cultuque ad sacrificandū apto, Cardinalibus amictum congruentem indutis præeun-  
tibus

tibus



tibus ad altare accederet; sacrisque rite perpetratis, ad Lateranense patriarchium reuenteretur. Per multos iam annos hæc paroecialis ædes tristi squallore ac situ horrebat, cum Xysti v. Pontificis Max. prouidentia ac pietate, Pictorum Collegio adtributa, nunc demum cœpit in pristinum decorem dignitatemque restitui.

Ad dies xxxvii.] Equilinus habet, ad dies xxxvii. Exemplar Vaticanum xxviii.

Ad xiiii. miliaria ab vrbe Roma.] Tibure igitur Hadriani iussu S. Getulius & socij in Sabinos reducuntur; & vel in eo ipso loco, ubi comprehensi fuerant, vel certè non longè, martyrio coronantur. huius enim narrationis initio dictum est, Getulium in regione Sabinorum habitasse non procul ab vrbe Roma, ibique cum Amantio, Primitiuo, & Cereale fuisse à consulari Licinio inuentum, vinctumque Tibur adductum; & hic ijdem ad tertiumdecimum lapidem ab vrbe Roma duci dicuntur, & ad flumen Tiberim necari; vnde ex verbis Adonis & Equilini conijcimus sexto fermè lapide ab Ereto vico, quem hodie vulgo Montem rotundum appellant, passos fuisse.

Caput ei fustibus confregerunt] ceteris igne consumptis, Getulius, cui flammæ pepercißent, fustibus cæsus glorioso martyrio vitam finiuit. Vaticanus codex habet, eradicatis fustibus vinearum. Quòd si quis fustium nomine non tam palos, hoc est, ligna, quibus ferè vineæ fulciuntur, unde & palandi verbum manauit, quàm arundines intelligi uelit, proximi

mè ac-



mè accedet ad illam falsam imperiti vulgi opinionē  
& cantilenam, quæ S. Getulium siue Zoticum arun-  
dinibus à pueris interfectum affirmat ; cum tamen  
probatissimi quique codices fustibus ( seu quis malit,  
vinearum palis ) à militibus occisum testentur.

Sepeliuit in arenario prædij sui ] Liber Vati-  
canus arenarium hoc, vbi S. Symphorosa B. Getu-  
lium coniugem funeravit, in fundo Capreolis ponit,  
vt idem pæne locus sancto viro & martyrium de-  
derit. & sepulcrum. Hunc autem fundum, seu præ-  
dium Capreolis id fuisse neceffe est, in quo is degebat  
& Christianos diuinis præceptis institnebat, prope  
ciuitatem Gavis, vt in quibusdam exemplaribus le-  
gitur; vnde sequitur ex Adone, Consummati sunt  
beati Martires in fundo Capreolis via Salaria ab  
vrbe Roma plus minus milliario XIII. supra flu-  
uium Tiberim in parte Sabinensium.

In Sabinis hæc gesta cum sint, non procul à Ti-  
beri amne, & miliaria hodie multo esse, quàm pri-  
scis sæculis, longiora, in alijs notis ostenderimus, de-  
cimum ab vrbe lapidem assignari existimamus.  
Quod si ita est, videndum erit, quomodo accipienda  
sint illa, quæ post pauca ex Adone de B. Sympho-  
rosa sequuntur, videlicet.

Et sepulta est in prædio suo, loco, & oppido  
supra nominato. ] Oppidum neque in historia huius  
contextu, neque apud ipsum Adonem nominatum  
est vllū: nisi dicamus Capreolis nomen oppidi Ado-  
ni fuisse. Hoc præterea cum eo, quod in vita B. Sym-  
phorosa narratur, cohærerere non potest; vbi S. Sym-

D      phorosa



phorose corpus ab Eugenio fratre collectum refer-  
tur, & in suburbano Tiburtina ciuitatis sepultum,  
nisi dicamus aliquam breui factam eius translatio-  
nem, vt vtrobique diuerso tempore conditum esse  
potuerit ante, quàm matris reliquiæ cum filiorum  
reliquiis via Tiburtina coniungerentur.

Cum Exuperantio presbytero.] De hoc B. Exu-  
perantio mentionem facit Vaticanus etiam codex.  
In Martyrologio Bedæ, Vsuuardi, Adonis, & Roma-  
no, alijsque tertio Kal. Ianuarij nominatur S. Exupe-  
rantius diaconus, martyrium cum Marcello collega  
Spoletz sub Maximiano Imp. perpeffus, & III. Kal.  
Iunij Exuperantius Rauenn. Episcopus & confes-  
sor. De hoc presbytero nihil aliud inueni; nisi forte  
is fuerit, cuius reliquiæ Romæ in æde S. Bartolomæi  
Apostoli in Insula Tiberina nunc esse dicuntur.

XXVII. die mensis Iunij.] Sic Ado, Bedam &  
Vsuardum secutus. Romanum vero Martyrologium  
S. Symphorose & filiorum martyrium decimo octa-  
uo die Iulij mensis adscribit; Getulij & sociorum  
necem decimo Iunij omnes assignant. Fuit autem is  
annus à Virginis partu CXXIII. Ceterum tam Ge-  
tulij & sociorum, quàm Symphorose ac filiorum  
passionem alij breuius texuerunt, nos pleniorẽ nar-  
rationem sequi, notisque, quantum licuit, illustrare  
maluimus. Præter hos auctores, meminerunt de ijs-  
dem sanctis martyribus Boninus, Surius volumine  
tertio, & Volaterran. lib. XIII. Comment.